

Peter Hinckelmann Heidenreich Kirchovius

**De Papismo Disputatio Anasceuastica Decima Octava. Continens praecipuos  
Romanae Synagogae errores refutatos, quos ea fovet in locis De Sacramento  
Confirmationis, Coniugii, Ordinis Et Extremae Unctionis**

Rostochii: Litteris Reusnerianis, 1608

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756812003>

Druck Freier  Zugang



P. Hinkelmann.

R. M. theol. 1607. 8.

- Contemptus
- ① Joh. Linschius, de deo uno et vero 1607
  - ② Joach. Hammingius, de communicatione majestatis 1607
  - ③ Joach. Fischerus, de peccato originali 1607
  - ④ Heid. Kirchovicius, de arbitrio hominis 1607
  - ⑤ Joh. Redekerus, de discrimine legis ev. 1607
  - ⑥ Henr. Tectorius, de justificatione 1607
  - ⑦ Joach. Jordenius, de bonis operibus 1608
  - ⑧ Joa. Linschius, de sacramentis 1608
  - ⑨ Joach. Hammingius, de sacramento coenae 1608
  - ⑩ Heid. Kirchovicius, de sacr. Confirmationis 1608
  - ⑪ Joh. ab Huda, de traditionibus 1608
  - ⑫ Paul. Boivius, de votis monachatus 1608
  - ⑬ Nic. Fridericus, de adiaphoris 1608
  - ⑭ Henr. Hamerius, de oratione 1608
  - ⑮ Petri. Loft, de indulgentiis 1608
  - ⑯ Joh. Albinus, de morte 1608

1. 21  
DE PAPIAMO  
DISPUTATIO ANASCEVASTICA  
DECIMA OCTAVA.

*Continens præcipuos Romanae Synagoga errores refutatos, quos ea fovet in locis*

De

SACRAMENTO  
CONFIRMATIONIS,  
CONIUGII, ORDINIS ET EX-  
TREMÆ UNCTIONIS.

*Reverenda facultatis Theologicae in Academiâ  
Rostochiensis consensu:*

Moderatore & Doctore SS. Spiritu:  
Sub Præsidio

M. PETRI HINKELMANNI  
*Verbi Divini ministri:*

ad privatam συζητησιν proposita  
ab

HEIDENRICO KIRCHOVIO  
Hervordienâ Westph.

*Horis pomeridianis 4. Idus Febr.*

ROSTOCHII,  
Litteris Reulnerianis An. 1608.



DISPUTATIO XVIII.  
DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS, CONIUGII, ORDINIS  
ET EXTREMÆ UNCTIONIS.

Πολυγράμα.

I.

**H**ucusq; pro castris Sacramentorum definitis certavimus, alienis irruptoribus digito indicatis & repulsis, restat, ut cominus cum q̄sdem congregientes, & aperto Marte limitum nostrorum perturbatores adorientes, fictitia Papistarum Sacramenta à veris arceamus, & simul Augia, quod ajant, stabulum stercorebus errorum referatissimum, in ijs purgemus.

II. In hac enim mundi & Ecclesia senectù & canicie, non solum nova Entia in natura censum ab exercitu Romani idoli turpiter raso invehuntur, sed & Sacramenta multiplicantur, dum velut erectis & volanzibus signis agminatim pro Sacramentorum numero septenario pugnant, eaq; se dissimis suis erroribus nefarie conspurcant, planè in Entia numerosa conversuri, nisi subinde ab Orthodoxis doctoribus fortissime defendantur, exquisitissime repurgentur.

III. Quem repurgationis laborem nos in presenti pio exercitio (συμπάτορι & ἡμῖν τῷ θεοβρώπι) suscipientes, cum in superioribus de baptismo, Cœna Domini, & pœnitentia actum, de reliquis quatuor Pseudonoiis Pontificiorum Sacramentis, hac διακρίσει differemus.

IV. Quia autem veritas copiam, splendorem & ornatum non magnopere desiderat, orationes ex mellitis verberum contextas globulis alijs relicturi, breviter ex thesauro S. literarum & sapientum supellectile, fictitijs sacris fictitia averruncabimus.

V. Ratione igitur instituti nostri & majoris perspicuitatis causa.

A 2

hanc

*hanc presentem materiam in tria capita dissecemus : Quorum*  
*erit*

1. De Confirmatione.
2. De Conjugio.
3. De Ordine & Extrema Unctione.

CAPUT PRIMUM.  
De Confirmatione.

Primus Error.

Conc. Trid.  
sess. 7. Can. 3.  
Confirmatio est verè & propriè Sacramentum à  
Christo institutum.

REFUTATIO.

I. *Quantoperè de sudaverint Pontificij in probando & obtinendo septenario numero Sacramentorum, id cuilibet satis notum & manifestum esse potest, ex disputatione nostra de Sacramentis in genere habita, ubi & confirmationem, Conjugium, Ordinem & Extremam Unctionem (de quibus jam & nos agimus) esse Sacramenta, summis viribus contenderunt. Eò igitur brevitatis studio candidum remittimus lectorem.*

II. *Ne autem levi (quod ajunt) brachio hanc questionem pertractasse videamur, unam atq. alteram rationem pro negativa sententia proponemus, quâ & reliqua tria Sacramenta non incommode dijudicari poterunt. 1. Quicquid non habet externum elementum sive Symbolum Sacramentale ab ipso Christo in N. T. institutum, cui annexum sit verbum mandati & promissionis gratia in remissionem peccatorum applicandam & obsequandam, illud non est Sacramentum N. T. At Confirmatio, quemadmodum & Conjugium, Ordo & Extrema Unctio non habent externum elementum sive Symbolum Sacramentale ab ipso Christo in N. T. institutum, cui annexum sit verbum mandati & promissionis gratia in remissionem peccatorum: Ergò.*

III. *2. Quibus definitio Sacramenti convenit, illa propriè & sic verè dicta sunt Sacramenta: At non Confirmationi nec reliquis tribus,*

bus, sed Baptismo & Cæna Domini competit tantum definitio Sacramenti. Ergo illa duo tantum & non plura verè & propriè sic dicta Sacramenta. Ratio est, quia extra controversiam est positum, Baptismum & Cænam Dominicam esse vera Sacramenta N. T. in quibus omnes proprietates & requisita contineantur, quæ ad Sacramenta N. Testamenti necessaria sunt:

IV. Primum enim requisitum, quod in illis deprehendimus, est elementum externum visibile. Secundum: Verbum institutionis, & promissionis gratia & remissionis peccatorum. Tertium, quod à Christo in N. T. institutum atq; sic Ecclesia N. T. proprium. Quartum, quod duret usq; ad adventum Christi novissimum. Cum igitur plures ceremonia & actiones in Ecclesia N. T. non sint, in quibus requisita illa & affectiones comprehendantur, quam hæc duæ, baptismus scilicet & Cæna Domini, rectè etiam concluditur, duo tantum esse Sacramenta Novi Testamenti.

#### Secundus Error.

Quicumq; dixerit Confirmationem olim nihil aliud quam Catechesin quandam, qua adolescentiæ proximi, fidei suæ rationem coram ecclesia exponebant; anathema sit.

Conc. Trid.  
sess. 7. can. 1.

#### REFUTATIO.

I. Si ullus unquam error absurdus, si ullum Sacramentum Papisticum defecatum & à scriptura alienum, si ullum dogma cum Orthodoxis patribus & sana ratione pugnat, si actio quadam fabula & quidem comædia nomine digna, confirmatio est Papistica, quæ nec firmata nec confirmata, sed meris exatomis est conflata.

II. Cum ergo gravis non sit defensio, ubi levis oppugnatio, facili labore & strictim agè Papisticam hanc sentinam expurgemus, quamvis non sine nausea.

III. Antequam autem quid confirmatione sua Papista intelligant videamus, quidnam olim illa fuerit perspiciemus, ut ita contraria iuxta se posita, secundum communem regulam magis illucescant.



IV. *Fait nimirum omne id, quod pontificij in errore designato fuisse negant, id quod sic ostendimus. Nihil tuiquam contra & prater verba & facta propria affingendum: pia & simplex vetustas ipso usu confirmationem demonstravit, talem fuisse, qualem error negat: Ergo. Si quis nostris fidem nolit habere verbis, adeat ipsos Antiquitatis fontes, adeat D. Mart. Chemnitij examen Concil. Trident. unde probationes videbit sat sufficientes.*

V. *Aliquot enim sunt differentia maximè illustres inter Chrisma pontificiorum & Confirmationem Patrum. Apud veteres impositio in confirmatione adhibebatur manuum, id, etiam Augustini & Hieronimi tempore: In papistica secus. Oleum veterum è probatis auctoribus balsamo mixtum fuisse probari nequit, quin potius Tertullianus, Clemens Alexandrinus & alij olei mentionem faciunt, balsami nunquam: Apud papistas secus. Veteribus inunctio Chrismatis à Baptismo diversum Sacramentum non fuit, sed peculiaris ceremonia tantum loco: Apud papistas secus. Imo in ipsa ceremonia est longe diversissima diversitas, teste siquidem Ambrosio (de his qui iniantur) caput inungebatur confirmandis oleo, ita ut reliquia inde defluerent: Apud papistas secus. Plura illorum scientes relinquimus.*

VI. *Hinc igitur luce meridiana clarius patet, quam bellè (scilicet) conveniat pontificia Chrismatio cum veteri Ecclesia, quare eam frustra vetustatis suffragijs ornare & confirmare laborant.*

*Tertius Error.*

Conc. Trid.  
sess. 7. Can.  
3. Cat. Ro.

Comp. The.  
Pont. Cat.  
Rom.

Conc. Aur.  
de conf.  
dist. 5.

Confirmatio per solum Episcopum debet conferri, & quidem adhiberi Chrisma ex Oleo & Balsamo, superaditâ alapâ, cum pronuntiatione horum verborum: Signo te signo Crucis, & Confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti. Unde & magna vis & efficacia tribuitur confirmationi, nimirum septi formis Spiritus Sancti gratia, remissio peccatorum & vitæ æternæ participatio; nec quisquam Christianus est nisi in confirmatione Episcopali fuerit Chrismatus.

REFU-

## REFUTATIO.

- I. Nunc ad mare papisticarum absurditatum, in quo tuò natabimus, illos submersos illinc relinquentes.
- II. Materiam, formam & finem, & ex hoc fluentem necessitatem obtinent, at suo malo.
- III. Materiam quod attinet, illam quam jaētitant, si natura credimus mystagogis, non habent. Nativum enim balsamum ex arboribus fluit, qua cum perierint ipsum Balsamum perijt, non habent ergo. Adeoq; Sacramentum confirmationis irritum est, ubi enim nulla materia, ibi nec mandatam.
- IV. Idem de formā judicium, contra quam & hac ratio militat. Quicquid preceptis divini Decalogi, qua norma sunt morum & factorum, repugnat <sup>(a)</sup>, illud rejiciendum imò damnandum. At forma hac pontificiorum hisce verbis expressa divina legi repugnat: Quid enim in illa prater incantationes continetur, qua severo judicio Dei reprehenduntur, in preceptis primo & secundo. <sup>(b)</sup>
- V. Nec melior finis qui cum forma coincidit, eo enim justificatio, cujus causse in ordinaria sede attribuuntur Deo per <sup>(c)</sup> fidem operanti, fictitia ascribitur Chrismationi, id quod etiam patrum auctoritas orthodoxa innuit, quam merito exosculamur & amplectimur.
- VI. Delirant itaq; pontificij, & media nobis necessaria eripiunt, falsa substituunt, Iehovam reformant, totam patrum Ecclesiam infideli turba annumerant, sibiipsis contradicūt, absurdis infinitis se implicant, exemplorum dilucidissimorum auctoritati repugnant, principes & nutritios Ecclesie lacerant. Imò quod omnium gravissimum, seipso suosq; liberos diabolo aeternum mancipandos tradunt. Excamus igitur à meretrice Babylonica, monente ipso Iesu Christo.

a) Deut. 4. 2.

cap. 18. 32.

Prov. 30. 6.

b) Exod. 20.

12.

Deut. 5. 16.

c) Ro. 3. 23.

c. 4. 5.

Eph. 2. 8.

Tit. 3. 4.

### CAPUT SECUNDUM.

#### De Conjugio

#### Primus Error.

Matrimonio confertur gratia quæ conjuges sanctificat, Catech. Ro. fol. 324.

REFV-

## REFUTATIO.

- I. Egregiè quidem nec non rectè faciunt papicole, dum contendunt, matrimonio conferri gratiam spiritualem, cum nolint sacerdotes suos ejus gratia participes fieri, dum arcentur à matrimonio.
- II. Sed quod matrimonio conferatur gratia spiritalis sine sacra scriptura testimonio dicitur, ideoq; ea facilitate, qua asseritur, rejicitur. Nobis enim quicquam credere de divinis mysterijs, nisi Dei verbo edoëtis, quod solum divina veritatis regula, religio est.
- III. Illustratur quidem Christi & Ecclesia conjunctio per matrimonium, tanquam figuram sive similitudinem, non autem inde sequitur quod ideo per illud conferatur vel applicetur gratia Dei.
- IV. Si enim per gratiam intelligunt favorem clementiam & misericordiam gratuitam, qua nos acceptat & justificat Deus, certum est talem gratiam per matrimonium nec exhiberi nec applicari, sed per verbum & Sacramenta.
- V. Si vero per gratiam Dei intelligitur donum Dei, amorem conjugalem perficiens, indissolubilem unitatem confirmans, conjuges sanctificans fecundosq; reddens, talis cerè gratia matrimonio etiam V. T. nunquam defuit, quare talem gratiam matrimonio dari papistis facile largimur.
- VI. Tum etiam matrimonia infidelium omnia illa habent, qua papista ad rationem hujus Sacramenti requirunt, videlicet consensum, stipulationem sive contractum, & contractus verba, signa & gestus. Cum itaq; gratia, quam dicunt conjugibus dari, nihil omnino ad justiciam coram Deo & ad vitam aeternam pertineat, frustra etiam hanc per matrimonium conferri docent.

### Secundus Error.

Conjugia liberorum absq; parentum consensu contracta, rata & firma sunt. Consensus parentum est de honestate non de necessitate.

## REFUTATIO.

- I. Notorium est Papistarum veneris studium, in quo ceu in studio quodam

quodam amplissimo certatim currere, adeoq; incastis & salacibus hircis  
similes se esse satagunt; in quo ut diligentiores esse possint, dum nullas  
negligunt occasiones, etiam parentum consensum, in matrimonio filio-  
rum necessario non requiri contendunt, ne ita parentum auctoritate à  
libidinis exercitio arceri possint.

II. Nos autem ut omnes clandestinas nuptias damnamus, ita è con-  
trario parentum consensum ad liberorum nuptias non solum de hone-  
state, ( id quod nonnulli Pontificij concedunt ) sed & de necessitate  
omnino requiri affirmamus.

III. Primo enim Ecclesie unanimi consensu: Conjugium est actio  
divina, non nisi à DEO (a) instituta: Ut ergò conjuges statuere pos-  
sint se à DEO conjunctos, ne contra DEI latam legem, conjugia ine-  
ant, prospicere debent, in qua cum patria potestas severè urgeatur  
& liberi parentum subjiciantur potestati (b), salva conscientia ne-  
quaquam contra & præter parentum voluntatem se conjugio immi-  
scere debent.

IV. Deinde ne quis quartum hoc præceptum eousq; se non exten-  
dere existimet, legi divina in Decalogo consentiunt loci paralleli  
S. S. scriptura, qui tam præceptis tum. exemplis liberorum matri-  
monia parentum consensus includi innuit: præceptis quidem, dum  
parentibus mandãt, ut filiis filiabusvè de matrimonio prospiciãt (b). Imò  
matrimonia absq; parentum consensu contracta, rescindi potest do-  
cent (c). Exemplis autem: Dum Abraham pater ceu testamento  
quasi caret, qua filio Isaac, vel sit, vel non sit ducenda uxor. (d)

V. 3. Quicquid & lege natura, & civili, & Canonico approbatur,  
illud & nobis pro probato accipiendum: Consensus parentum lege &  
natura & Civili & Canonico approbatur: Ergò. De lege natura &  
civili, non solum leges (e), qua hinc etiam à Theologis & Jureconsultis no-  
stris citantur, sed & Ethnicorum exempla & regula testantur, de qui-  
bus integra historicorum historia. De Canonico itidem certum est,  
quod sine parentum consensu nuptias legitimas haberi non posse,  
imò legitimum absq; illo conjugium nec esse posse statuat. (f)

B

VI. Ad

a) Gen. 2. 22.  
23.

Matt. 19. 16.

b) Exod. 20.  
12.

Deut. 5. 16.

Matt. 15. 4.

Eph. 6. 2.

b) Deut. 7. 3.  
Ier. 29. 6.

1. Cor. 7. 36.

37.

c) Exod. 22.

d) Gen. 24. 3.

e) Inst. tit. de  
denupt. §. 1.

f) Ca. 32. q. 2.

c. honoran.

Can. 30. q. 5.

c. alter.

Can. 32. q. 2.

c. non o-

mnis mu-

lier.

VI. 4. Ad haec veteris Ecclesiae nobiscum facit consensus, ut Theologi ex Euaristi constitutione anno 100. & Ambrosio anno 390. Carthaginensi Synodo anno 436, alijsq; authoribus docent, quae adeo luculenta sunt, ut Gropperus ille Westphalia decus, hac ipsa approbare gravi & erudita voce non dubitet.

VII. Non tamen negamus, distinguendum esse hic diligenter Matrimonio enim per carnalem copulam consummato, ad vitanda scandala, & injuriam, quae persona vitata hinc oriri potest, declinandam, dispensatio adhibenda, juxta SS. scripture (c), Ambrosij (d), & aliorum sententiam. Alias exceptiones, quae ex scripturam tractatibus petantur, hic brevitati studentes omittimus.

e) Deut. 22.  
28.

f) 1. 6. Epist.  
43.

### Tertius Error.

Cognati vel affines in septimo gradu vel infra copulari non debent (a). Rursus prohibitio usq; ad quartum gradum restringitur (b): Prohibitio quoq; copulae conjugalis quartum consanguinitatis & affinitatis gradum de caetero non excedat, quia sunt quatuor humores in corpore humano,

a) Pet. Iom.  
l. 4. dist. 40.  
b) Concil.  
Lateranen.  
sub Inno-  
centio 4. c.  
50.

### REFUTATIO.

I. Ut nullum doctrina Christiana caput, in quo pontifex Romanus non aliqua Antichristianismi & pontificia Tyrannidis vestigia post se relinquat, ita quoq; hunc locum tractare, & potestatem dispensatoriam, sibi arrogare non dubitat. Prohibet enim Matrimonia, & inita dissolvit juxta suas leges, vel pro certa pecunia taxa concedit, quando Toleramus dicere solet.

Gal. 1. 7. II. Quam extremam sive audaciam sive impudentiam sic tollimus. Quodcumq; & prater & contra scripturam est, id anathematis loco habendum: Prohibitiones haec & dispensationes de gradibus & prater & contra scripturam sunt: Anathemata Ergo.

Levit. 18. 6. &c. III. Quod prater scripturam sint, tamdiu docemus, donec contrarium monstratum fuerit. Quod contra eam, vel ex solo Levit. ubi persona recensentur, in quibus conjugij concubitus exerceri potuit, patet.

IV. Equo

IV. E quo vel unico capite ruinosa pontificiorum arx subverti potest, id quod ipsi papista ultro concedunt: Sed se his legibus Leviticis non teneri asserunt, illas enim abrogatas esse, quod ubi falsum esse, has nimirum leges non esse Leviticas, evictum fuerit, hic error submersus abibit.

V. Demonstramus ita. 1. Quaecumque leges, ipsas obligant gentes, ut propter pravaricationem earum puniantur, ea morales sunt & naturales, non ceremoniales: Leges haec Levitica tales sunt: Ergo,

VI. 2. Leges quae à Prophetis inter morales referuntur, ea sunt absque omni dubio pro iis acceptanda: Haec leges à Prophetis inter morales referuntur: Ergo.

Ezech. 22.  
.o.  
Amos 2, 7.

VII. 3. Leges inscriptae cordibus omnium hominum morales sunt: At has leges omnium hominum cordibus inscriptas esse, testantur leges Imperatorum in iure civili Ethnica. Ergo,

VIII. 4. Ex quibus legibus in N. T. peccata arguuntur illa morales sunt: Ex his legibus in N. T. peccata arguuntur, ut ex Evangelista Marco & Apostolo Paulo patet: Ergo.

Mar. 6. 18.  
1. Cor. 5. 1.  
Levit. 18. 7.  
8.

IX. His demonstratis facilis est conclusio. Haec leges de papistica prohibitionem & dispensationem, quae in errore recensita, contrariantur, ipsis papistis (doctiores qui sunt) consentientibus, legibus Leviticis: Ergo ad Antichristum à quo orta releganda rursus.

#### Quartus Error.

Conjugium est carnale & immundum vitae genus, in quo homines Deo placere, & ei servire non possunt, Caelibatus verò conjugio longè præferendus, tanquam status perfectior & sanctior. Conjugium enim implet terram, virginitas autem Paradysum seu coelum.

Sotus in af-  
fert. Cath.  
de votis p.  
114.

#### REFUTATIO.

I. Plaustra convitiatorum contra conjugium ex Pontificiorum scriptis hic congerere possemus, nisi eorum animus & mens exposito errore satis superque constaret, quod nimirum conjugium planè damnet & abijciant, atque sic ipso facto se doctrinam Daemoniorum proponere indicerent.

i. Tim. 4.  
V. 3.

B 2

II, In-

II. *Infulsi autem sunt Pontificij, dum ad stabiliendum hunc suum errorem, contra matrimonium detorquent illud Pauli: qui in carne sunt, DEO placere non possunt; quasi verò in carne esse, idem sit, quod in conjugio vivere, quam expositionem verbis Pauli manifestè contrariari, ipsa cõvèntia textus demonstrat.*

III. *Quod verò conjugium non sit immundum vitæ genus probatur 1. Ex ipsa institutione & benedictione. Deus enim in statu innocentia conjugium instituit eidemq; benedixit, quam benedictionem post lapsum iisdem penè syllabis, Noha & filijs ejus repetivit, ne quis propter peccatum hunc ordinem planè immundum & DEO exosum redditum esse existimet.*

IV. 2. *A cohonestatione Christi. Voluit enim Salvator ex Maria desponsata viro nasci, ut quanti faceret conjugium testaretur. Tum & in honorem conjugij, nuptijs in Cana non solum interfuit, verum etiam primo miraculo in ijs, sub initium sua prædicationis, gloriam suam manifestare voluit.*

Ebr. 13. 4. V. 3. *A commendatione scripturæ. Nominat enim conjugium omnibus honorabile, & thorum immaculatum, nisi ab hominibus viventibus in eo dehonestetur & maculetur. Paulus in conjugio, mysterium illud magnam dilectionis Christi erga Ecclesiam, contineri docet. Tum Eph. 5. 31. & mulierem per generationem liberorum, si manserit in fide & dilectione, salvam fore pronunciat.*

VI. 4. *Exemplis Patriarcharum & Prophetarum in V. T. qui non tantum in matrimonio vixerunt, verum etiam illud ex præscripto & mandato DEI fecisse leguntur. Tum & fideles conjugatos æquè ac cælibes ad societatem Ecclesiæ admissos esse, ex præxi Apostolica patet. Non itaq; immundum, sed mundum & Deo placens vitæ genus, est conjugium.*

VII. *His ita positis facile patet, calibatam neq; conjugia præferendum, neq; statum esse sanctiorem & perfectiorem cum Deus conjugium instituerit, eidem benedixerit, Christus illud cohonestaverit, & S. S. Scriptura tantoperè commendet, ut etiam uxorem per filiorum generationem beatam prædicet.*

VIII. In-

VIII. Interim tamen facile concedimus, quantum ad presentem vitam statum attinet, tranquillius esse vitæ genus, paucioribus molestiis obnoxium, virginitatem & calibem vitam quam conjugium. Sed hoc intelligendum de veris virginibus, quæ possunt capere verbum Christi, & quæ non tantum corpore sed & anima & spiritu casta sunt nec uruntur, quod peculiare Dei donum est. Illus autem qui uruntur, melius est nubere quam uri.

### Quintus Error.

Presbyteris, Diaconis & Hypodiaconis nunquam licuit ex uxore, ante sacrum ordinem ducta, filios procreare. Episcopi nunquam nisi vel cælibes vel se ab uxoribus abstinentes, fuerunt consecrati.

### REFUTATIO.

I. Quam turpiter sese dent etiam in hoc errore pontificij, vel ex his liquet, quando Paulus non tantum in ministro ecclesie requirit, ut Episcopus sit unius uxoris conjunx, habeat filios fideles, & domui sua bene præsit. Verum etiam de seipso scribit: Annon habemus potestatem 1. Tim. 3.2. Tit. 1.6. sororem mulierem circumducendi, quemadmodum & ceteri Apostoli 1. Cor. 9. v. 5. & fratres Domini & Cephas? Quin imo fit mentio socrus D. Petri, Matt. 8. v. 14. Mar. 1. v. 20. Luc. 4. v. 38. quam febricitantem Christus etiam sanavit. Petrum itaq; & reliquos Apostolos in conjugio vixisse nullum est dubium. Hisce suffragantur exempla Prophetarum in V. T.

II. Tum etiam refutantur Pontificij exemplis episcoporum & Doctorum Ecclesie, qui post tempora Apostolorum, non tantum in conjugio vixerunt & liberos genuerunt, verum etiam honorabiles confessi nuptias, huic invento hominum, quo laquei clericis injecti sunt, aperte contra dixerunt, & concubitum cum proproia uxore castitatem esse docuerunt.

III. Quod itaq; presbyteris non liceat ex uxore, ante sacrum ordinem ducta, liberos procreare, & aperte adversatur S. S. Scriptura, & exemplis primitivæ Ecclesie plurimis refutatur.

IV. Quod autem additur; Episcopos nisi vel calibes, vel se ab uxoribus abstinentes, consecrari posse, mendacium est turpissimum, quod



*exemplis historiarum luculentis posset detegi, si id ratio instituti nostri ferret.*

### *Sextus Error.*

Matrimonia propter adulteria non sunt dirimenda, nisi quoad thorum & mensam. Non licet innocenti & desertæ personæ novum matrimonium contrahere, nisi constet desertricem partem extinctam esse.

### REFUTATIO.

I. *Ut illi, qui in excessu peccant, vituperandi, sic non minus & illi, qui in defectu. Viroq; modo videas hic pellicætes pontificios errare. Matrimonium varias ob causas (suo tamen modo) solvi posse, in excessu hallucinantes Papista docens: at tamen propter adulterium, quoad vinculum solvi non posse, sed tantum quoad thorum & mensam, in defectu claudicantes, contendunt.*

II. *Nos sacra iudice scriptura, matrimonium propter adulterium solvi posse, adeoq; papisticam illam distinctionem inter dissolutionem ad thorum & ad vinculum, indistinctam esse, luculenter demonstrabimus.*

III. *Illud monstrant Christi verba luce meridiana claviora, apud*  
Matt. 19. 9. *Matthæum & Marcum, ubi solam & unicam divortij causam, nominat adulterium.*  
Mar. 10. 11.

IV. *Dissolutionem ibi tradit quoad vinculum & thorum simul: quam papistico sensu receptam distinctionem, præterea his elidimus rationibus.*

V. 1. *Distinctio qua ex scripturis probari nequit, non est recipienda: Hac papistica distinctio è scripturis probari non potest, quin potius ei adversatur, ut ex verbis Christi & Pauli patet: Ergo,*  
Matth. 5.  
1. Cor. 7.

VI. 2. *Distinctio qua pugnat cum re distinguenda, illa non est proba: Hac distinctio papistica pugnat cum re distinguenda, cum matrimonij scilicet institutione & natura. Vinculum quippe conjugale est mutua conjugum & arctissima in arctissimis obligatio ad mutuum adiutorium & liberorum procreationem: Hac autem obligatio, & hoc adiutus*

adjutorium tollitur in divorzio papistico quoad thorum. Qua ergo ratione & quo modo vinculum manere dicunt? Affirmant homines illi definitum, negant definitionem.

VII. 3. Quid si absurditates numeremus ex illa distinctione permanentes longe absurdissimas? Laquei namq; hinc duri conscientiarum, Tyrannis hinc stabilita Papa, occasio hinc ad immania scelera, & nescio qua alia. Ratum ergo, matrimonium solvi adulterio sive quoad thorum sive quoad vinculum.

VIII. Quod verò homines Papista, innocentem (cujus mentio in errore fit) personam matrimonio novo prohibent, faciunt id contra ipsa manifesta Christi verba, è quibus innocentem personam bonâ conscientia matrimonium inire posse, à contrario sensu valide concludimus.

Matth. 19.  
Marc. 10.  
Luc. 16.

IX. Quod etiam deserta persona necessario expectandum dicunt, donec altera extincta sit; Ridiculum hoc Philosophantibus, D. Paulo verò ἀβελόδορον, qui ob increduli discensionem fratrem, aut sororem servituti non esse subjectam precipit. Qua tamen in re & magistratum ordinariorum potestate, doctorum vero consilijs standum esse, quivis facile intelligit.

#### Septimus Error.

Pontificij prohibent & damnant secundas nuptias imò quidam eas adulterio æquant.

Praxis vivā

#### REFUTATIO.

I. Neq; hic Error, quia etiam S. S. Scriptura, qua tum apertis dictis, tum exemplis ἀπολογίας probat, aperte in os contradicit, longiori indiget refutatione. Paulus enim vidua soluta à lege viri mortui, cui voluerit, nubere concedit, modo id fiat in Domino. Imò quasi mandans inquit: Volo juniores viduas nubere, liberos gignere, domum administrare.

1. Cor. 7. 9.  
39.  
1. Tim. 5. 14.

II. Huc etiam lex à Deo in V. T. lata, quamvis ad politiam spectet Judaicam & nos non obliget, optimè quadrat; qua Deus mandavit, ut quando habitaverint fratres simul, & unus ex ijs absq; liberis mor-

Deut. 25. 5.  
Matt. 22. 24.

tuus

ius fuerit, uxor non nubat alteri, sed accipiat eam frater eius. Quae lex ~~de regibus~~ non tantum concessit, verum etiam mandavit.

III. Exempla etiam quibus eandem confirmare possumus non desunt. Abraham enim defunctam suam Sarâ, aliam duxisse uxorem, & ex ea liberos suscepisse legitur. Sic Ruth Moabitidis post obitum viri, cum socra sua in terram veniens Iudaeam, Boozo nupsit, ex quibus nuptijs secundis prognatus est Obed avus Davidis Regis, ex cujus prosapia Messias noster oriundus est. Davide quoque mittente & loquente ad Abigail, ut eam, mortuo ejus marito Nabal, duceret in uxorem, a secundis nuptijs illa non abhorruit, sed consurrexit & secuta nuncios David, facta est illius uxor.

Gen. 25. 1.

Ruth. 4. 13.

1. Sam. 25. 29

VI. Denique eadem definitio oppositis attribui nequit: Conjugij definitio, non primis duntaxat, sed etiam secundis competit nuptijs: Ergo non sunt opposita, sed respectu totius conjugij definitionis, secunda nuptia cum primis consentiunt, & propterea non rejicienda.

V. Eant ergo Papista & secundas nuptias, quas scriptura mandat, exempla commendant, & experientia probat, adulterio exaquare pergant.

### CAPUT TERTIUM. De Ordine & Extrema Unctione.

#### Primus Error.

Omnes ordines, quibus ad sacerdotij fastigium ascenditur, septenario numero continentur. Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse ~~de regibus~~, divina ordinatione institutam; anathema sit.

Conc. Trid.

sess. 23.

Can. 6.

#### REFUTATIO.

I. Ordo adeo praecleara & divina res est, ut sine eo ne ipsa quidem natura, quae omnium opifex, consistere possit; Et sicut illa ipsa est ordo, sic nec ea quicquam absq; ordine vel ineditata est, vel effecit unquam.

II. Non solum ergo in scientijs & artibus, quae humana acie apparentur, sed & in Theologia, imò inter ipsos Theologizantes investigari debet.

debet, praesertim cum nihil excellenter pulchram, & recte ordinatum, alicuius pravi distortive causa esse poterit.

III. Quod posterius, dum moluntur Papista, Ordinem eudunt fictitium, quem nomine Christi vendunt, Sacramenti loco venerantur, adeoq; plane sine ullo ordine omnia agunt.

IV. Quaquam enim Ordinem urgeamus in Christi Ecclesia contra Anabaptistas & Enthusiastas, eumq; ex S. S. Scriptura probemus, quae quosdam Prophetas, alios Apostolos, alios Evangelistas, alios pastores, alios Doctores vocat.

1. Cor. 12. 3.  
Act. 13. 5.  
Ier. 23. 11.  
1. Cor. 14. 26  
Eph. 4. 11.

V. At tam haec non ad Papisticos Ordines, quam nec ad Anabaptisticos. Septem illi fingunt, Sacerdotum, Diaconorum Subdiaconorum, Acoluthorum, exorcistarum, lectorum & Ostiariorum. At posteriorum quatuor, ne ullus quidem in toto N. Testamento invenitur.

VI. Plures etiam illorum ordines in Christum ipsum, & DEI creaturas injuriosi sunt: Ordo enim exorcistarum quo jure omnes creaturas multis diabolis obsessas fingit? anne contra Scripturam? Ordo Sacerdotum quo jure Christum quotidie offert? anne contra Scripturam S? Ordo lectorum quo jure verbum DEI pro mortuis recitat? anne contra Scripturam? &c.

VII. Quod si verò characteris Episcopalis ordinum pontificiorum plures examinare vellemus, merito nos retraheret illud poeta: Quid jurat in nugis argutos nec tere nodos, Et missis spinas quarere velle rosis.

VIII. Neq; effectus Ordinum Papisticorum ullius sunt utilitatis quos ad duo revocant genera. Primum, potestatem, aiunt, spiritualem perpetuam, in cujus signum sit character. Secundum gratiam gratum facientem; quos tamen vel ipse Bellarminus per accidens ei esse conjunctos, & separari posse non inficiat, ut alia taceam; propria enim illos cadi vinera sufficit.

### Secundus Error.

Materia extremae unctionis debet esse ex olearum Cate. Rom.  
baccis tantummodo expressus liquor, ab Episcopo con-

C

ceptis

Compend.  
Theol. l. 6.  
cap. 35.  
Cat. Rom.  
Conc. Trid.  
sess. 14. can.  
7.  
Conc. Trid.  
sess. 14. c. 2.

ceptis verbis consecratus. Unctio autem facienda est, ad oculos, ad aures, ad nares, ad os, ad lumbos & ad manus, hisce verbis: per istam unctioem indulgeat tibi Deus, quicquid oculorum, sive narium sive tactus vitio deliquisti. Efficaciâ unctioem venialia peccata remittuntur, infirmis confertur gratia. Diaboli vis & imperus frangitur.

## REFUTATIO.

I. *Non entis nec causas, nec effecta nec subjecta, nec adjuncta esse, communi dicitur verbo. Ridiculos ergo se valde præbent illi papistæ, qui extremam unctioem non solum pro Sacramento venditant, sed etiam ut insanias insanis corrigant, ei efficiensem, materiam, formam, finem subjecta & adjuncta assignant.*

II. *Scholastici enim efficiensem Christum dicunt; hodierni verò qui in castris militantium sunt papistarum, contra Scholasticos veteres, probabilius esse ab Apostolis hoc Sacramentum institutum affirmant. Viri, inepti. Quod enim in sacris literis non habetur, sed potius ijs aperte contradicit, illud nec Christum authorem, nec Apostolos promulgatores habere potuit: Extrema papistarum unctio in sacris literis non habetur. Quæ enim papicola ex Mar. 6. v. 13. & Iacob. 5. v. 14. afferunt, de alia loquuntur unctioem, quæ 1. ad solius corporis sanationem non ad animæ salutem pertinebat, 2. à non sacerdotibus etiam adhibebatur 3. omnibus promiscuè communicabatur; quæ partim contra Sacramentorum, partim contra pontificia unctioem naturam pugnant.*

III. *Ministram hujus causam solos faciunt illos, qui caromate ornati sunt pontificio, quos Episcopus salutant, id quod contra vitam est ecclesiæ veteris praxin, cujus rei vel solius Innocentius è tot & tam multis testis esse potest.*

IV. *In Materia hujus Sacramenti, à pontificijs assignata unà cum forma, sine & effectum in errore notata, ut prius pontificij ipsi conveniant, antequam contra illos hastas jactemus allas, hortamur.*

V. *Interim revocamus illos ad fidei nostræ unicam normam S. Scripturam,*

pturam, ex qua sua nunquam vel probarunt, vel probare possunt, hoc  
superpondij loco fundamentum illis opponentes. Quicquid derogat of-  
ficio Christi & medijs à Christo prescriptis, illud erroneum judicari  
debet: Extrema pontificiorum unctio derogat officio Christi; Sanguis  
enim Iesu Christi, solum in remissionem peccatorum nostrorum effusus  
est; derogat medijs ejusdem; non enim oleo vis fugandi immundos  
spiritus, sed verbo ascribitur, fidem in nobis operante Deo; Ergo  
extremam unctiorem cum suis pollinet oribus, infer-  
nalibus vermibus devorandam  
relinquimus.

1. Ioh. 1. 8.

1. Pet. 1. 19.


Eph. 6. 17.

Ad Ornatissimum,

## DN. RESPONENTEM.


Felicem ter & amplius,  
Quem sacrata tenet copula, prædicas,  
Kirchovi, rationibus  
Firmis fretus. Ad hoc quid Papa, Dæmonis  
Doctrinam varijs tuens  
Technis? quid monachi? quid modò Marcion,  
Sanctum conjugium vocans  
Immundum? quid ad hoc proferet improbus  
Quivis? Nil puto, quod tua  
Argumenta queat frangere fortia.  
Felicem ter & amplius  
Heidenrice fero te quoq; qui tuâ  
Oppugnare vales thesi  
Iplius Satanæ fulmina, queis DEI  
Decretum variè sacrum  
Temnit, ludibrio jactat, & execrat,  
Fucos fallito cæteros  
Sic, æterna tibi gloria & hinc manet

Petrus Glantenus F.




**Q**uid tandem pater ille Caufiatus,  
 Papiftum coryphæus ille, totus  
 Papæ mancipium minax minacis,  
 Bellarminus habet, quod heic reponat?  
 Bellè bella minus movet cruenta:  
 Quas Pifeator; & ille Piftor ater,  
 Et tandem Latialis ipfe Iuppter  
 Ponti fex glacialis execranda,  
 Deproment apinas fuis lacunis?  
 Tricas, fimul hisq; viliora.  
 Fundamenta vident facrata verbi,  
 Verbi dogmata pura purioris,  
 Heidenrice foli decus patriti,  
 His quod candidulo notas lapillo  
 Errores gregis hujus, & fceleftis,  
 Quid? Coeleftibus illius repurgas  
 Noftam traditionibus facratam  
 Conformemq; facris profefionem,  
 Scripturis & Apoftoli & Prophetæ,  
 Rem gratam facis & DEO potenti,  
 Et cuivis bene-fana fentienti.  
 Ceffim rafa tuis recede technis  
 Seductrix juvenum virumq; turba.

*Fridericus Crugerus.*




**M**ulta tibi debent hoc pro malimine Papæ  
 Papantis affeclæ, favens quos poriora doces.  
 Quosq; cupis tecum caelefti fede fruifci,  
 Hæc Papa fi modo cerneret, præmia, credo, daret.

Petrus Bonenbergius,







pturam, ex qua sua nunquam vel probarunt. ve  
superpondij loco fundamentum illis opposites.  
ficio Christi & medijs à Christo prescriptis, illa  
debet: Extrema pontificiorum unctio derogat op  
enim Iesu Christi, solum in remissionem peccatoru  
est; derogat medijs ejusdem; non enim oleo va  
spiritus, sed verbo ascribitur. fidem in nobis op  
extremam unctioem cum suis pollinet  
nalibus verbis devoranda  
relinquimus.

Ad Ornatissimum,

DN. RESPONDEN

**F**elicem ter & amplius,  
Quem sacrata tenet copula, prædi  
Kirchovi, rationibus  
Firmis fretus. Ad hoc quid Papa, D  
Doctrinam varijs tuens  
Technis? quid monachi? quid mod  
Sanctum conjugium vocans  
Immundum? quid ad hoc proferet i  
Quivis? Nil puto, quod tua  
Argumenta queat frangere fortia.  
Felicem ter & amplius  
Heidenrice fero te quoq; qui tuâ  
Oppugnare vales thesi  
Iplius Satanæ fulmina, queis DEI  
Decretum variè sacrum  
Temnit, ludibrio jactat, & execrat  
Fucos fallito cæteros  
Sic, æterna tibi gloria & hinc manet

Petru

nt, hoc  
ogat of-  
ndicari  
Sanguis  
effusus  
mundos  
Ergo

1. Joh. 1. 8.  
1. Pet. 1. 19.  
Eph. 6. 17.

